



Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Tertiam Partem Summæ Theologiæ. Cum Commentariis
Reuerendiss. D. Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Sixti, Et Opvscvlis
Eivsdem In tres Tomos distinctis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

6. Vtrum reliquiæ sanctorum sint adorandæ:

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72797](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72797)

adoraret latria Christum in beata Virgine: & scilicet adoraret hyperdulia ipsam secundum se beatam Virginem, sine qua discretionem error accideret. & ideo simpliciter dicitur, quod non est adoranda latria, sed hyperdulia.

In argu.

¶ Super Quaestio. 25. Articulum sextum.

Trius hic clarissimus est.

Art. prae.

In corpore articuli, unica est conclusio dupliciter probata. Conclusio est, Reliquias sanctorum qualescumque congruo honore venerari debemus, & praecipue eorum corpora. Probat primo: Affectus alicui venerari etiam illa, quae de ipso post mortem relinquuntur; sed sanctos Dei veneramus, ergo eorum reliquias venerari debemus. & praecipue eorum corpora. Maior probatur auctoritate Augustini. Minor probatur ex quatuor: 9a sancti sunt Christi membra, quia Dei filij, 9a amici, quia nostri intercessores. Pars autem specificata in conclusione. I. praecipue eorum corpora, manifestatur ex tribus: 9a tenent Spiritus sancti inhabitantis: quia organa Spiritus sancti operantis per ea fuerunt: quia sunt corpora Christi configuranda. Secundo probatur conclusio, quia Deus sanctorum reliquias honorat miraculis, ergo & nos debemus honorare.

2. 9. 9. 9. 2. 9. 3.

Ca. 73. in pr. habetur iter opera, Aug. 20. 3.

Lit. cap. 13. 20. 5.

debetur tamen ei quidam honor consimilis ratione cuiusdam excellentiae. Et hoc significant auctoritates* inductae.

AD SECVNDVM dicendum, quod honor matris refertur ad filium, quia ipsa mater est propter filium adoranda: non tamen eo modo, quo honor imaginis refertur ad exemplar, quia ipsa imago prout in se consideratur ut res quaedam, nullo modo est veneranda.

AD TERTIVM dicendum, quod crux non est capax venerationis prout in se consideratur, ut dictum est: sed beata Virgo secundum se ipsam est venerationis capax, & ideo non est similis ratione.

ARTICVLVS VI.

Utrum reliquiae Sanctorum sint adorandae.

AD SEXTVM sic proceditur. Videtur quod sanctorum reliquiae nullo modo sint adorandae. Non enim est aliquid faciendum, quod possit esse occasio erroris: sed adorare mortuorum reliquias videtur ad errorem Gentilium pertinere, qui mortuis hominibus honorificentiam impendebant, ergo non sunt sanctorum reliquiae adorandae.

¶ 2. Praet. Stultum videtur re insensibile venerari: sed sanctorum reliquiae sunt insensibilia corpora, ergo stultum est eas venerari.

¶ 3. Praet. Corpus mortuum non est eiusdem speciei cum corpore vivo, & per consequens non videtur esse numero idem, ergo videtur quod post mortem alicuius sancti corpus eius non sit adorandum.

SED CONTRA est, quod dicitur in li. de Ecclesiasticis dogmatibus. Sanctorum corpora, & praecipue

beatorum martyrum reliquias, ac si Christi membra, sincerissime honoranda. f. credimus. Et postea subditur, Si quis contra hanc sententiam velit esse, non christianus, sed Eugnominianus & Vigilantianus creditur.

RESPON. Dicendum, quod sicut Aug. dicit in li. de civitate Dei. Si paterna uestis & anulus, ac si quid est huiusmodi, tanto carius est posteris, quanto erga parentes est maior affectus, nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quae vtrique multo familiarius atque coniunctius, quam quaelibet indumenta gestamus, haec enim ad ipsam naturam hominis pertinent. Ex quo patet, quod qui habet affectum ad aliquem, etiam ea, quae de ipso post mortem relinquuntur, veneratur, non solum corpus aut partes corporis eius, sed etiam aliqua exteriora, puta, vestes, & similia. Manifestum est autem, quod sanctos Dei in veneratione habere debemus, tamquam membra Christi, Dei filios, & amicos, & nostros intercessores. Et

ideo eorum reliquias qualescumque, honore congruo in eorum memoriam venerari debemus, & praecipue eorum corpora, quae fuerunt templa, & organa Spiritus sancti in eis habitantis, & operantis, & sunt corpora Christi configuranda per gloriosam resurrectionem. Unde & ipse Deus huiusmodi reliquias conuenienter honorat, in eorum praesentiam miracula faciendo.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod haec fuit ratio Vigilantij, cuius verba introducit Hiero. in lib. quem contra eum scribit, dicens. Prope ritum Gentilium videmus sub praetextu religionis introductum, puluisculum nescio quem in modico vasculo, pretioso linteamine circumdatum osculantes adorant. Contra quem Hiero. dicit in Epistola ad Riparium. Nos non dico Martyrum reliquias, sed nec solem nec lunam nec Angelos adoramus. Adoratione latria: honoramus autem reliquias martyrum, ut eum cuius sunt martyres, adoremus: honoramus seruos, ut honor feruorum redundet ad dominum. Sic ergo honorando reliquias sanctorum, non incidimus in errorem gentilium, qui cultum latria mortuis hominibus exhibebant.

AD SECVNDVM dicendum, quod corpus illud insensibile non adoramus propter se ipsum: sed propter animam, quae fuit ei unita, quae nunc fruatur Deo, & propter Deum, cuius fuerunt ministrum.

AD TERTIVM dicendum, quod corpus mortui alicuius sancti non est idem numero, quod primo fuit dum viveret, propter diuersitatem formae, quae est anima: est tamen idem, identitate materiae, quae est iterum suae formae unida.

QVAESTIO XXVI.

Super Quaestione vigesima sexta Articuli primum.

De eo, quod dicitur mediator Dei, & hominum dicitur, in duos articulos diuisa.

Trius clarus est.

DE INDE considerandum est de hoc, quod dicitur Christus Dei, & hominum mediator.

Et circa hoc quaeruntur duo. Primo, Utrum esse mediatorem Dei, & hominum, sit proprium Christo. Secundo, Utrum hoc conueniat ei, secundum humanam naturam.

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum esse mediatorem Dei & hominum, sit proprium Christo.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quod esse mediatorem Dei, & hominum, non sit proprium Christo. Sicut enim sacerdos, ita & propheta videtur esse mediator inter Deum & homines: sicut in illud Deuter. 5. Ego illo tempore sequester fui & medius inter Deum & vos: sed esse prophetam, & sacerdotem, non est proprium Christo, ergo etiam esse mediatorem. ¶ 2. Praet. Illud, quod conuenit angelis bonis & malis, non potest dici esse proprium Christo: sed esse me-

In corpore articuli, sunt duae conclusiones. Prima est, esse mediatorem inter Deum, & homines, simpliciter seu per se etiam, est proprium Christo. Secunda est: Nihil prohibet alios dici mediatore secundum quid, scilicet, dispositiue vel ministerialiter. prima conclusio probatur: Vniue homines Deo, perfectiue conuenit soli Christo, ergo solus Christus est perfectus mediator Dei & hominum. Antecedens probatur: quia per mortem suam mundum Deo reconciliauit: & Apostolus dicit, Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians. Consequentia vero probatur: & ratione: quia mediatoris officium est mediare, inter eos, inter quos est mediator. probatur: quia in medio uniuertur